

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summō
despiciēns mare vēlivolum terrāsque iacentēs
litoraue et lātōs populōs, sīc vertice caelī 225
cōstitit, et Libyae dēfixit lūmina rēgnīs.
Atque illum tālēs iactantem pectore cūrās
trīstior et lacrimīs oculōs suffūsa nitentēs
adloquitur Venus:

“Ō quī rēs hominumque deumque
aeternīs rēgis imperiīs et fulmine terrēs, 230
quid meus Aenēās in tē committere tantum,
quid Trōes potuēre, quibus tot fūnera passīs
cūnctus ob Ītaliā terrārum clauditur orbis?
Certē hinc Rōmānōs ōlim volventibus annīs,
hinc fore ductōrēs, revocātō ā sanguine Teucrī, 235
quī mare, quī terrās omnēs diciōne tenērent,
pollicitus---quae tē, genitor, sententia vertit?
Hōc equidem occāsum Troiae trīstēsque ruīnās
sōlābar fātīs contrāria fāta rependēns;
nunc eadem fortūna virōs tot cāsibus āctōs 240
īnsequitur. Quem dās fīnem, rēx magne, labōrum?
Antēnor potuit mediīs ēlāpsus Achīvīs
Illyricōs penetrāre sinūs atque intima tūtus
rēgna Liburnōrum et fontem superāre Timāvī,
unde per ōra novem vastō cum murmure montis 245
it mare prōruptum et pelagō premit arva sonantī.